



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Praelectionum Theologicarvm
Tomus ...**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punctum Difficultatis 1. Quid tenendum. De Elevatione per Extrinsecum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82982)

DIFFICULTAS II.

Quid Elevatio Potentie.

PRIMUM loquemur de ipsa elevatione, postea delabemur ad connexa illi.

Punctum Difficultatis I.

Quid tenendum?

DICENDUM est Primò *Elevationem potentie semper fieri per aliquid superadditum vel intrinsecè, vel extrinsecè*, v. g. vel per qualitatem superadditam, unitamque principio naturali, quale principium est lumen gloriæ, habitus infusi &c. vel per solum auxilium extrinsecum, profectum ab omnipotentia divina applicata à voluntate, ad concurrendum modo indubito.

PROBATUR Primò. Impossibile est transire à contradictorio ad contradictorium sine sufficienti mutatione; ergo etiam implicabit transire, à non esse elevati, ad esse elevati, sine sufficienti mutatione; sed nisi ponatur aliquid vel intrinsecum vel extrinsecum superadditum, non poterit sufficiens mutatio ostendi, ad transitum à non esse elevati ad esse elevati, quid enim illud? ergo.

PROBATUR Secundò. Quia antequam res transiret à non esse elevati, ad esse elevati, non habuit aliquod intrinsecum; ergo quando etiam supponitur esse elevatum, cum nec intrinsecè, nec extrinsecè aliquid superaddatur, æquè manebit inelevatum, præcipue cum præter intrinseca & extrinseca rei, nihil jam possit tertium inveniri.

PROBATUR Tertiò. In naturalibus transitus à non esse potentis agere, ad esse potentis agere, non salvatur nisi ratione alicujus intrinseci vel extrinseci superadditi; ergo nec in supernaturalibus salvabitur; quæ enim ratio probabit antecedens probabit & consequens.

Cæterum elevatio potentie materialis videtur semper perfici, non nisi ratione alicujus extrinseci, nempe vel productione unionis, vel formæ indebitæ. Ratio. Tum quia, si ratione superadditæ alicujus qualitatis redderetur potens materia ad recipiendam formam supernaturalem, illam ipsam, vel immediatè reciperet, vel per aliam qualitatem superadditâ, si immediatè; ergo & alias immediatè recipere poterit; si mediatè, dabis processum in infinitum. Neque valet si dicas, quòd sicut unio & sibi & aliis est ratio uniendi, ita illam qualitatem fore rationem & sibi & aliis recipiendi, non inquam valet; quia tunc ratio aliqua & sibi & aliis est talis ratio, quando illam aliunde constat dari, & quando contra illam rationem, non militat

idem fundamentum. Et sic, si quis unionem poneret ratum Ens, illa non posset esse sibi ratio uniendi, quia pro illa, eadem ratio militat, quæ pro aliis; in præsentī autem eadem ratio militat pro formis supernaturalibus, & pro illa qualitate, nempe naturalitas materiæ, & illarum supernaturalitas, nec aliunde constat illam, qualitatem dari vel necessariam esse. Tum quia potentia subjectiva in materia, est idem realissimè, cum illius entitate; de hac quæro; vel mediatè recipit illam formam supernaturalem, vel immediatè; si immediatè contra erit; quia saltem illud immediatè receptivum, immediatè recipiet; ergo per suam entitatem; quo posito sic ulterius urgetur; Quod respectu unius entis supernaturalis habet entitatem capacem subiectare formam supernaturalem etiam respectu aliarum formarum supernaturalium, habet capacem entitatem; quia etiam respectu illarum formarum habet eandem entitatem. Et certe non minus inter se, in ratione præcisè supernaturalitatis, differunt entia supernaturalia, quàm formæ naturales; & tamen supposito aliunde, materiam non esse subiectum determinatum, si potest, idque sua entitate recipere unam formam naturalem, potest & aliam; quia eandem entitatem retinet, tam respectu hujus, quàm respectu illius formæ naturalis, & aliunde non probatur esse determinata; ergo idem in præsentī dicendum. Tum quia si præter concursum, qui est ad productionem vel formæ vel modalitatis supernaturalis, exigeretur adhuc aliud auxilium supernaturale, illud, utpote efficax, deberet aliquid producere, quid illud? non entitatem materiæ, quia hæc supponitur producta, non entitatem qualitatis alicujus intermediè receptivæ, hæc enim impugnata; & insuper, non esset hoc auxilium in genere causæ materialis, non etiam produceret illud auxilium quidpiam aliud; ergo apparet illud non dari. Neque valet si dicas dari quantitatem, quæ intermediâ recipiuntur formæ materiales, ergo idem dicendum de potentia obedientiali materiæ, nõ, inquam, valet; quia, qui tenemus media quantitate recipi formas materiales, non negamus posse etiam immediatè recipi; sed ad salvanda ea, quæ à posteriori sunt cognita, de quibus in physica, infertur concedendum esse media quantitate illas recipi, quæ necessitas quia in præsentī non urget, negamus istam intermediam receptionem, licet concedamus, illam esse possibilem; quamvis autem elevatio in ordine efficientis perficiatur, per aliquid intrinsecum, non sequitur etiam in præsentī perfici debere; quia etiam elevatio efficientis non raro perficitur per aliquid extrinsecum, ut mox dicitur, cur ergo hanc potius conditionem elevationis non sequetur elevatio materiæ, & sequi debere probant allatæ rationes; videantur dicta de Ente supernaturali.

Contra hac allata de potentia passiva supernaturalium

DICES PRIMò ex Ripalda disp. 25. num. 14. Per possibilem ac non repugnantem intrinsecè passionem, ac susceptionem talis formæ, completur potentia passiva, sonat enim virtutem relativè respectivam & connexam cum forma absolute possibili, hoc autem habetur per susceptionem & passionem possibilem.

RESPONDETUR. Nomine passionis & susceptionis *Ut Quo*, potest venire, Unio supernaturalis, vel modalitas interveniens in receptione entis supernaturalis; & de hac non est hîc quæstio, quòd debeat esse quid superadditum. Rursus nomine passionis venire potest, ipsa potentia, ipsum susceptivum, & nego hoc susceptivum, hanc potentiam, debere esse aliquid superadditum; & sicut ipsa modalitas interveniens in naturalibus, dum recipitur, supponit potentiam passivam identificatam susceptivo; ita & in præsentî.

DICES SECUNDò. Apprehensâ naturâ & apprehensâ passionem supernaturalem, secluso quovis alio, apprehenditur natura absolute susceptiva formæ supernaturalis; ergo hæc duo, complent illam potentiam.

RESPONDETUR. Apprehenditur quidem tunc natura absolute susceptiva formæ supernaturalis, nego tamen quòd illa passivè perficiatur in ratione potentiæ quâ talis; sicut nec in naturalibus, modalitas interveniens, perficit potentiam passivam, sed est ratio *Ut Quo*, recipienti, &c.

DICES TERTIò. Ab eo reddi potest natura absolute receptiva formæ, à quo forma redditur absolute receptibilis, forma autem redditur extrinsecè receptibilis à passione absolute possibili.

RESPONDETUR. Forma redditur extrinsecè receptibilis à passione, tanquam ratione recipienti *Ut Quo*, quæ non negatur; sed non tanquam ab ipsa potentia superaddita.

DICES QUARTò. Non posita potentiâ materiali superadditâ, non erit ostendere subjectum in quo recipiantur actus supernaturales elicitî à peccatore.

RESPONDETUR. Subjectum erit anima, sicut & aliorum supernaturalium habituum, median- te aliquâ determinatione supernaturali.

DICES QUINTò. Datur elevatio potentiæ vitalis, ut vitalis est; ergo dabitur & elevatio potentiæ passivæ, quia vitalitas stat in producere & recipere.

RESPONDETUR. Per nos vitalitas in sola agere; sed posito quod stet etiam in pati, suffecerit elevatio inclusa in ratione *Ut Quo* recipienti, non autem præcisè in ratione potentiæ receptivæ.

De Elevatione per Extrinsicum

DICENDUM SECUNDò. *Possè fieri elevationem in*

ordine ad efficiendum, etiam per aliquid extrinsecum, v.g. auxilium indebitum; est conclusio contra Thomistas, Bann. Alvar. Cajet. Scotum.

PROBATUR PRIMò. Quia id non implicat contradictionem; ergo apparet sufficientem esse talem elevationem.

PROBATUR SECUNDò. Primus actus fidei, qui est dispositio ad habitum fidei, non est ab habitu fidei supernaturalis, antecedit enim illam; ergo est ab auxilio solo indebito. Rursus contritio antecedens habitum infusum charitatis, non potest esse à charitate permanentis qualitatis, quia aliàs daretur effectus ante suam causam. Potest item dari visio beata sine lumine gloriæ; quo casu, intervenire nihilominus debet auxilium supernaturale; cum visio Dei, sit actus supernaturalis ergo apparet perfici posse elevationem, per solum auxilium indebitum, adeoque aliquid extrinsecè superadditum. Potest item Deus sine ulla qualitate superaddita, per solum auxilium indebitum quoad modum, una cum potentia naturali, producere effectus naturæ v.g. actum scientiæ sine habitu, item producere habitum sine actu, qui est productivus habitus; ergo poterit & in ordine supernaturali, cum solo auxilio extrinsecò, idem producere; in multis quidem antecedentis partibus negativam tuentur Thomistæ, sed suppono alibi eos refutari, & ex suppositione refutationis, procedit probatio.

PROBATUR TERTIò. Tum quia, quod ponatur aliquid intrinsecum elevativum potentiæ, est necessarium ex mente S. Thomæ, ad salvandum non nisi modum magis connaturalem agendi: non implicat autem, Deum non servare modum connaturalem agendi. Et certè ideo intrinsecum elevativum potest producere supernaturalia, quia habet vim eadem operandi; non implicat autem vim operandi Deum ex suo auxilio exhibere. Tum quia si Deus ponat concursum consimilem ei, quem ponit, quando per aliquid intrinsecum elevat potentiam, ille concursus vel ponet id, quod poneret cum illo intrinsecò superaddito, vel non ponet? si ponet, ergo sine superaddito ullo elevari potentia potest; neque enim sine elevatione, rem supernaturalem producere posset; si non ponet; ergo non est concursus consimilis ei, qui exhibetur cum concurret Deus, una cum qualitate superaddita; sed potest Deus ponere ejus rationis concursum, quem ponit, cum per aliquid intrinsecum elevat potentiam, hoc enim non implicat, potestque Deus præstare id solo suo concursu, quod præstat una cum creatura.

Qui ipse medius terminus sic aliter proponitur; sit potentia naturalis, sit intrinsecum elevativum, potest Deus denegare auxilium actualis

lis concursus, ne fiet actio supernaturalis; si autem exhibeat hunc concursum, ponetur actio supernaturalis; ergo apparet in sola exhibitione concursus, ultimo compleri rationem efficiendi supernaturalia; ergo etiam si Deus ipsi potentiae, sine intrinseco elevativo, exhibeat hunc concursum, habebitur completa ratio efficiendi supernaturalia; sicut quamvis Deus possit facere produci hominem exhibendo concursum ad generationem, si tamen exhibeat suum concursum, ad ejus productionem, etiam sine causa creata, produceretur homo: ita & in praesenti, exhibitione illius concursus, ponetur ratio supernaturalis. Tum quia non minus auxilium Dei indebitum, est quid extrinsecum ipsi potentiae obedienciali, quam ipsum superadditum intrinsecum elevativum; quia illud intrinsecum elevativum; quia illud intrinsecum, non nisi per unionem conjungitur, jam autem auxilium & concursus, conjungitur, per identitatem cum ipso actu supernaturali; nam concursus Dei cum actione identificatur; sed non obstante extrinsecitate, quam importat qualitas superaddita, possunt poni actus supernaturales à potentia obedienciali; ergo nec illa alia extrinsecitas obstat.

Objicitur Primò. Actus secundus supponit primum completum, sed nisi fiat elevatio per aliquid intrinsecum, actus secundus non supponeret actum primum completum; quod ipsum probatur; esse actum primum completum, est denominatio formalis intrinseca; ergo debet provenire à forma intrinseca.

RESPONDETUR. Actum primum completum, esse denominationem partium à forma intrinseca, partem à forma extrinseca; cum enim importet ipsam entitatem potentiae obediencialis, dicet aliquid intrinsecum, cum importet dominium Dei, voluntatem, omnipotentiam concurrentem, dicet aliquid extrinsecum; imò etiam posita sententia oppositorum, adhuc actum primum, ingredi debet aliquid extrinsecum, nempe concursus Dei in actu primo. Potest etiam distinguere consequens; ergo denominatio actus primi completi debet provenire à forma intrinseca, hoc est, ab aliquo conjungibili, ut per modum unitus agant. Concedo Consequentiam; debet provenire à forma intrinseca, hoc est qualitate superaddita. Nego Consequentiam; porro auxilium Dei indebitum, per modum unitus, concurrat, cum potentia obedienciali.

Objicitur Secundò. Si elevatio potentiae obediencialis perfici potest per solum auxilium Dei extrinsecum, non esset ratio cur non semper ita elevaretur.

RESPONDETUR. Ex mente S. Thomae, quod modus connaturalis agendi exigit ut effectus procedat ab aliquo principio permanente, liberum autem est Deo, modo connaturaliori, vel non, cooperari.

Objicitur Tertiò. Non potest effectus formalis variari invariata forma; ergo neque effectus formalis potentiae obediencialis; nam ex potente remotè producere effectus vires naturae excedentes, posita elevatione redditur proximè potens producere; ergo posita elevatione variatur, & ipsa potentia obediencialis.

RESPONDETUR. Variationem hanc posse esse, etiam ratione extrinsecorum, sicut, homo non solum ratione complexionis variatur, sed etiam ratione situs & rasurae; praecipue verò, quia haec forma, quae est potentia obediencialis, dicit etiam aliqua extrinseca, cum quibus saltem ita connectitur; ac cum possibilitate effectus causa, quae variatur, variata possibilitate effectus.

Objicitur Quartò. Ex iis quae sibi opponit Ripalda nobiscum sentiens disp. 35. Actus supernaturalis quae vitalis est, exigit fieri à principio intrinseco sibi proportionato, sed natura sine auxilio supernaturali intrinseco, non est intrinsece proportionata ad efficiendum actum supernaturalem; ergo actus supernaturalis quae vitalis, exigit fieri auxilio intrinseco supernaturali.

RESPONDETUR. Intrinsecitas duplex hinc cogitari potest, prima ex superadditione, secunda ex similibus actum in se continentia; ad salvandam vitalitatem, est necesse habere hanc intrinsecitatem posteriorem, non priorem, ut dictum in materia de supernaturali Ente.

INSTABIS Primò, Natura vivens, postulat determinari ab intrinseco, ad agendum suum actum.

RESPONDETUR. Sufficit determinatio ab intrinseco, non superaddito, sed continenti, virtute sua similes actus.

INSTABIS Secundò. Deus providit de facto naturae rationali auxilia intrinseca, ad agendum immanenter, quae non providit naturae irrationali Sacramentorum, ad agendum transeunter.

RESPONDETUR. Universaliter falsum antecedens, quia primi actus v.g. fidei in adulto baptizando, sunt immanentes, & tamen non proficiuntur ab habitu fidei; quando autem proficiuntur ab habitu infuso, proficiuntur ad connaturalius agendum, non autem indispensabiliter.

INSTABIS Tertiò. Non potest actus supernaturalis fieri à natura rationali ex natura rei, nisi subjectum dignè dispositum sit; Sed subjectum actus supernaturalis non est dignè dispositum absque auxilio intrinseco supernaturali.

RESPONDETUR. Major est dubia, quia primi motus dantur etiam supernaturales in peccatore baptizando, non apparet autem, per quid disponatur, ad primos illos motus supernaturales.

urales. Minor etiam non tenet, quia potest fieri receptio supernaturalium sine dispositione, & si quæ necessarii requiritur, suffecerit dispositio per auxilium elevativum extrinsecum.

OBJICITUR Quintò. Modus agendi naturalis causæ primæ, est, ut non efficiat solus, tanquam causa particularis, effectus, quos potest efficere per causas secundas particulares, at Deus potest efficere actus supernaturales per auxilia supernaturalia creata; ergo.

RESPONDETUR ad salvandum, quod sine elevatione per intrinsecum, adhuc causet Deus actus supernaturales per causas particulares, suffecerit ponere, ipsas potentias creatas tunc concurrentes, sed elevatas aliquo extrinsecò.

DICENDUM est Tertio. *Non repugnare etiam qualitatem supernaturalem, quæ sit instrumentum connaturale productivum effectuum, supernaturalium quoad modum v. g. quæ sit principium sanandi cæcos, ægrotos &c. est Conclusio contra Suar. & Amic.*

PROBATUR Primò. Quia talis qualitas non repugnat.

PROBATUR Secundò. Potest dari qualitas, quæ sit principium actuum supernaturalium, quoad substantiam, qualis v. g. qualitas, est habitus supernaturalis; ergo etiam potest dari talis qualitas, quæ sit principium producendi effectus supernaturales quoad modum, hi enim ignobiliores sunt.

PROBATUR Tertio. Præter auxilium, quod sit principium extrinsecum operandi supernaturalia quoad substantiam, invenitur in Dei thesauro etiam principium intrinsecum eorundem; ergo & præter auxilium, quod sit principium extrinsecum operandi supernaturalia quoad modum, poterit id fieri etiam beneficio alicujus qualitatis.

OBJICITUR Primò ex Suar. Non videtur possibile virtus, quæ producere possit tot diversos ac mirabiles effectus, cujusmodi sunt miracula Christi.

RESPONDETUR. Hoc ipsum esse quod negatur, datur qualitas supernaturalis saltem medicativa &c. hoc enim solum sufficit ad verificandam conclusionem, vel qualitas extendens se ad 4. vel 5. species miraculorum.

OBJICITUR Secundò Amicus. Implicat virtus creata, naturaliter operans supra leges naturæ.

RESPONDETUR. Si dicas fidem habituales, quod sit qualitas supernaturalis naturaliter operari supra leges naturæ, idem dices in præsentì, unde dici posset illam qualitatem fore supernaturalem quoad entitatem, naturaliter tamen suorum effectuum operativam.

INSTAT idem. Implicat ut virtus creata naturaliter exigit operari, supra, aut præter id,

quod ipsius natura postulat; ergo implicabit qualitas, effectuum supernaturalium quoad modum, connaturaliter causativa.

RESPONDETUR. Negando fore supra naturam ipsius illius qualitatis, operari illos effectus, sicut non est supra naturam habitus infusi Fidei, operari actus supernaturales fidei; licet ipsi actus sint verè supra naturam; sed hæc intelliguntur ex materia de supernaturalitate.

OBJICITUR Tertio cum eodem. Si daretur instrumentum naturaliter productivum effectuum supernaturalium quoad modum, illud instrumentum esset causa Principalis; hoc implicat. Ergo. Sequela probatur. Quia haberet proportionem adæquatam cum effectui, in quo stat ratio causæ principalis; quod ipsum probatur; quia ratio specificans virtutem hanc, quæ deberet esse nonnisi instrumentum, esset eadem cum ratione specificante, ipsum agens principale; quod ipsum probo; quia ratio specificans virtutem illam instrumentalem & principalem, esset attingibilitas effectus, independenter à suppositione subjecti, & reliquis causis naturalibus, quæ ratio est indivisibilis; hinc non potest diverso modo specificare instrumentum, diverso virtutem principalem.

RESPONDETUR. Si quis dicat etiam habitus supernaturales, principiativos actuum supernaturalium quoad substantiam, esse causas principales actuum suorum, idem etiam in præsentì dicere poterit; quod si id negetur de illis habitibus, totum argumentum retorqueri poterit quod proponit Amicus. Deinde dici posset, quod illa qualitas habeat proportionem adæquatam cum effectui, non tamen adæquatione excludente alias causas, cæteroqui in ordine naturæ requisitas; quod si non excludet causam primam dabit locum subordinationi requisitæ, ad instrumentalem causam, ita ut non sit causa primò & per se requisita, & quamvis concederetur, quod idem esset ejus specificativum extrinsecum, cum causa principali, adhuc distinguì possent ratione aliorum, nempe conditionis suæ in ratione agendi; præcipue autem, quia (ex eo quod idem habeatur alicujus specificativum,) non destruitur ratio causæ instrumentalis, nam creatura per Amicum potest adhiberi tanquam instrumentum in ordine ad creandum, & tamen utriusque idem erit specificativum, productio ex nihilo; & sicut sufficit specificari ab eodem, sed alio modo, hoc est, cum subordinatione, ita & in præsentì. Nec est regula dignoscendi, quod aliquid sit causa principalis, quia habet adæquationem cum effectui, nam possunt dari duæ concausæ principales, quarum neutra singillatim sit adæquata effectui, causæ item æquivocæ non habent adæquationem cum effectui, & tamen sunt causæ principales. Adde illā qualitatem fore quoad Entitatem supernaturalem,

* (I)

quoad

quoad suam enim entitatem nulli naturæ debetur; principiaturam tamen nonnisi effectus supernaturales quoad modum; quia non est necesse adæquari in omnibus principio productivo, effectum; sic Angelus est substantia intellectiva, non efficit tamen intellectiones, quæ sint substantia.

Punctum Difficultatis 2.

An in omni Elevabili supponi debeat activitas partialis intrinseca?

ASSERO Primò. *In elevabili ad operandum modo vitali, supponi debet activitas partialis intrinseca.*

RATIO: quia & esset illa operatio vitalis, ut supponitur; & non esset vitalis, quia non proficisceretur ab intrinseco, non enim in quantum proficiscitur ab auxilio, proficisceretur ab intrinseco; nam hoc non est potentia vitalis: non etiam in quantum proficiscitur ab illa creatura elevata; quia nullam vim intrinsecam similem, movendi se haberet.

ASSERO Secundò. *In elevabili ad operandum modo non vitali, non debet supponi activitas partialis intrinseca.*

RATIO: quia nulla ejus necessitas, nec implicat negata activitate similia operandi, adhuc eam elevari.

ASSERO Tertiò. *In elevabili ad operandum modo non vitali, supponi debet activitas partialis intrinseca obedientialis, hoc est, quod possit elevari ut agat.*

RATIO: quia & posset tale agere obedientialiter, ut supponitur; & non posset, quia involveret in se, quod non possit elevari ad hoc.

Hoc volunt hæc asserta. Sunt quædam manifestè activa, ut ignis; aliqua non manifestè activa, ut terra; utrumque hoc potest elevari ad agendum non vitaliter; quamvis in substantiis præcipue, nullum est, quod non sit agens saltem suarum passionum; in accidentibus autem, saltem est activum suarum specierum: sed quamvis nec hoc haberet, per ordinem ad efficienda & producenda naturalia, posset habere activitatem obedientialem intrinsecam, quæ activitas intrinseca stabit in Entitate ad agendum elevabili.

DICES Primò cum Ripalda disp. 41. qui oppositum nonnihil videtur opinari, quamvis in re idem sentiat; ut videre est apud DiCast. disp. 42. num. 2. Actio physica, quæ efficitur forma supernaturalis non vitalis, pendet intrinsece immediate ab instrumento creato; ergo inest ipsi aliquid virtutis intrinsecum, à quo actio pendeat.

RESPONDETUR. Ergo inest illi aliquid virtutis naturalium similium activæ. Nego Consequentiam; inest illi aliquid virtutis intrinsecum, hoc est, Entitas sua obedientialiter activa. Concedo Consequentiam.

INSTAT Primò. Si actio adæquatè & immediate pendet à solo Deo, mediata à creatura, verè quidem creatura, non agit physice v. g. gratiam.

RESPONDETUR. Ex mediato agere, non inferitur rectè, non agere; cum ipsum mediata agere, sit adhuc verè agere; unde etiam ignis mediante calore agit ignem, verè tamen agit; deinde potest immediate agere, etiam id, quod non habet virtutem similium naturalium activam.

INSTAT Secundò. Non positâ tali virtute intrinseca activæ, decerneret tantum Deus, ut natura tantum agat, objectum autem talis decreti, intelligi non potest esse aliud, quam actio particularis, quæ v. g. gratia pendeat intrinsece & immediate ab instrumento creato, quomodo ergo non supponit vim intrinsecam.

RESPONDETUR. Objectum talis decreti est actio particularis, à qua intrinsece & immediate penderet gratia, supponetque vim intrinsecam, non quidem similium naturalium activam, de qua est lis, sed intrinsecam obedientialem & elevabilem.

INSTAT Tertiò. Ab actu ad potentiam est legitima Consequentia, jam autem actu & immediate non solum Deus agit, sed & creatura; ergo potentia agendi non solum est in Deo, sed & in creatura.

RESPONDETUR. Potentiam agendi esse in creatura, non quidem similium naturalium effectivam, esse tamen potentiam agendi obedientialiter.

INSTAT Quartò. Omnis passio, supponit in quovis subiecto, vim passivam subiecto intrinsecam; ergo etiam omnis actio in quovis agente, vim activam agenti intrinsecam.

RESPONDETUR. Sufficit, ut supponat vim activam obedientialem, non autem vim activam similium naturalium, concedo quòd in divinis, ex reali productione colligatur potentia realiter productiva, sed colligetur etiam hinc ex reali productione virtus productiva realis, non quidem similium naturalium effectuum, sed virtus productiva realis obedientialis.

INSTAT Quintò. Si creatura ad effectus supernaturales posset constitui potens per virtutem Dei omnino extrinsecam, etiam posset ad effectus naturales sibi debitos, & cum exigentia concursus divini, sufficeret ut eorum esset naturaliter activa, sicut sufficit per nos in presenti, hoc autem esset omnem activitatem intrinsecam tollere.